

226 CASP. BARTHOL. l. 2.
*Ludius æquatam ter pede pulsat
humum.*

Planipedes etiam, qui dicti quod in plano agerent & pedibus nudis, saltus suos ad decantatos Tibiarum modos accommodarunt, quemadmodum facile credo Gellio afferenti lib. 1. cap. 11. *Quod enim foret ista re ineptius, si ut Planipedi saltanti, ita Graccho concionanti, numero & modos & frequentamenta quædam varia tibicen incineret.*

His affines erant *Fabulones*, qui obscœna dixerunt atque impudica verba, ut *Macrob.* lib. 2. Sat. cap. 1. *Vicem Planipedis & Fabulonis impudica & prætexta verba jacentis.* Quod etiam ad Tibiam factum est, quemadmodum apud *Xenophontem* in Symposio *Nicostratus* histrio *τετραμέτρα πρὸς τὸν ἀυλὸν καλέλεγεν*, ad Tibiam tetrametra recitabat.

Non possum hîc non mentionem facere *lepidæ* illius lucernæ quam adducit *Licetus* lib. 6. de lucern. ant. rec. c. 85. his verbis: *Gerit ea in area superiori nudum homunculum, gibbum, infantem geminas tibiis, elato crure dextro,*